



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

39 Papa solus dispensat in gradibus consanguinitatis prohibitis, usque ad quartum gradum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Episcopo ipsum esse suspensum in collatione ordinum, itemque promotum suspensum esse ab ordinum executione, beneficiumque amisisse, & fructus perceptos suos non fecisse.

37 Decimosexto † solus Papa dispensare potest, ut filius immediate in ecclesia paterna succedat, *cap. fin. de fil. presbyter.* & glossa. in dicto cap. si Evangelica, in fin. 55. dist.

38 Decimosextimo † solus Papa dispensare potest cum illegitimis, criminosis, & ex alieno gravatis, ut ad religionem admitti possint, à qua sub gravibus pœnis prohibentur per constitutionem Sixti V. quæ incipit, cum de omnibus, de anno. 1587. sexto kal. Decembris etiam, in ult. lib. Bul. ejusdem Sixti, & de qua per Graff. eod. cap. 7. n. 65. quæ tamen postea modificata fuit per Gregorium XIV. per constitutionem incipientem: circumspecta Romani, de anno 1591. idibus Martij editam.

39 Decimo octavo † in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, quæ extenduntur usque ad quartum gradum de jure canonico computan. solus Papa dispensare potest, non autem Episcopi, nec legati de latere in dictis gradibus possunt dispensare, *cap. non debet, de consanguinitate, & affinit.* Covar. de spons. 2. par. 1. cap. 6. §. 9. in fin. & conc. Trident. cap. 5. de refor. matr. 4. sess. 24.

Prohibitio enim copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum non excedit, ut dicto cap. non debet, unde puto errare eos, qui suis constitutionibus, decretis, aut alijs modis prohibent, ne in quarto, & quinto gradu sine Ordinarij licentia, aut declaratione matrimonia, quæ libera esse debent, contrahantur, quo-

niam hujusmodi impedimenta sunt contra expressum casum legis eod. cap. non debet, & cap. cum locum de spons. nec sub prætextu scandali vitandi, quia matrimonia in quibus nullum penitus est impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis, ad evitandum scandalum, possunt impediri, cum propter scandalum quandoque aliquid omittatur, quod de jure esset faciendum, ut cap. 1. 91. dist. & in his terminis procedit glossa, quam sequitur Abb. in cap. super eo in verbo consuetudo, de cognat. spir. non autem, quod quintus gradus scandalum generet, & ad evitandum scandalum omni alio impedimento cessante debent Episcopi, ne matrimonia contrahantur, prohibere, ut post alios per ipsum citatos Felyn. in cap. nihil num. 1. de præscript.

40 Decimonono † in impedimento publicæ honestatis, quod primum gradum non excedit, & oritur ex sponsalibus validis contractis cum sponso prædefuncto, fratre illius, qui cum sponso, vel sponsa quondam fratris, vel sororis, vult matrimonium contrahere, *cap. ad audientiam, cap. sponsam, de sponsal. concil. Trident. cap. 3. de refor. matr. sess. 24.* & Pius V. in declaratione super eod. c. 3. in Bull. cap. 62. solus Papa dispensare potest.

41 Vigesimo † solus Papa in impedimento, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, de quo, *cap. quadam, cum sequ. 32. quæst. 7. & cor. tit. de eod. qui cogn. consang. uxor. su.* dispensare potest, & hæc affinitas in primo, & secundo tantum gradu contrahitur, quibus matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, in ulterioribus vero gradibus matrimonium postea contra-

ctum